



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 10. Spiridonis Episcopi simplicitate mysterium SS. Trinitatis defensum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

placent. At Paulus sic loquitur: *Gloria nostra* 2. Cor. 13  
*hac est, testimonium conscientiae nostrae, quòd in* 12.  
*simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in*  
*sapientia carnali, sed in gratia Dei, conuersati*  
*sumus in hoc mundo. Quid quòd & bonæ*  
*mentis Principibus, magis probatur sincera*  
*simplicitas, quàm astutia vulpina?*

§. X.

*Spiridonis Episcopi simplicitate mysterium*  
*SS. Trinitatis defensum.*

Sæpe deridetur *justi simplicitas*, interim, Iob. 14. 44  
*re ipsa, simplicitas justorum dirigit eos.* Nam, Prou. 11. 3.  
 talibus utitur diuina sapientia, cum & mi-  
 nus superbiant, & magis veritati, quàm sub-  
 tilitati obediant, conscij propriæ imbecil-  
 litatis. Sed & Dei virtus, illis aliquid, quod  
 vires sapientum excessit, efficientibus, ma-  
 gis elucescit. Minus enim simplex addit de  
 suo; & plus gloriæ Numini relinquit inex-  
 ploratus homo, quàm de quo fuit magna  
 expectatio. Qua ratione Anno 325. Catho- Sozom.  
 lica Religio, per Spiridonem Episcopum, l. 1. c. 1.  
 Trimithuntium triumphauit. Cõfluxerant, Ruff. l. 13  
 eo anno, ad Nicænam Synodum, non so- Euseb.  
 lum Episcopi Catholici per litteras accerfi- l. 10. c. 38  
 ti; sed etiã ex Philosophis pleriq; , qui apud Niceph.  
 Gentiles pro sapientibus habebantur, dispu- l. 8. c. 15.  
 V 4 tatio-

tationibus, in hoc Concilio, agitatis, dedita opera, interfuerunt. *Quorum nonnulli, quam tandem esset Christiana doctrina, admodum scire auebant: alij odio in Christianos propterea animati & inflammati, quòd superstitiosa Gentilium religio nuper antiquari coepta erat, questionem de fide Christiana propositam, ad inanem quandam verborum cõcertationem deduxerunt: adeò ut ipsi, inter se, digladiari, & secum pugnare viderentur.* Inter hos vnus, tanquam nouus Goliath, in medium processit, & insolenti dicendi arrogantia se jactare, magnasque glorias verborum flare coepit. Dixisses militem gloriosum. Neque se duntaxat circumspiciebat ac prædicabat, sed sacerdotes insuper Dei præsanè confidenter ac proteruè eleuabat, contemnebat, iridebat. Spiridon nequaquam Suadæ filius, artisque dicendi, multoque minùs fallendi, ac præstigiarum omnium expers, hanc Philosophi superbiam non tulit, sed & ipse, ad certamen cum eo ineundum, surrexit. Habuit diuersos ea res motus. Petulantes risu, modestos impleuit metu. Veriti enim sunt, ne iuueni senex, homini facundissimo & eloquentissimo indoctus atque indifertus succumbens ludibrio exponeretur. Itaque ceteri,

ceteri, qui aderant Episcopi, libenter receptui cecinissent. Sed veneranda eos canities illustris Confessoris absterruit, reuerentiâq; ipsa illi fecit auctoritatem. Data est ergo illi, liberè, quæ vellet, loquendi potestas. Ille, sine exordijs, sine colore, sine arte, eiusmodi oratione eum contriuit: *In Nomine IESV Christi, Philosophe, audito. Vnus est Deus cæli, terra, & omnium rerum tam oculis subjectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia, & virtute Verbi fabricatus est, & sacro Spiritus S. afflatu stabilivit. Quare hoc Verbum: quod nos Filium Dei nuncupamus, misertum humani erroris, & belluine viuendi rationis, ex Virgine nasci, cum hominibus unà versari, proq; iisdem, mortem oppetere voluit. Est quoq; iterum venturus, de ijs rebus, quas quisq; gesserit in vita, dicturus sententiam. Ista ita se habere, sine vlla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fidentaxat rectè intelliguntur, curiosè refutandis, laborem frustra consumere, querereue, qui ista fieri, aut non fieri possint? Quod si credis, mihi quidem sciscitanti responde. Quasi de cælo tactus, ita sapientissima dictionis simplicitate obstupefactus Philosophus, illico respondit: Credo. Mox etiam amplissimas illi*

gratias egit, quòd ipsum & vicisset, & erudiisset; protestatus, se eadem cum sene sentire. Quin consilium etiam illis dedit, qui perinde erga fidem Christianam, atque ipse antè, affecti erant, adhortatusque est, ut doctrinæ Christianæ assentirentur, iureiurando confirmans, se non modò non sine diuino Numine mutatum esse; sed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad Christianam fidem conuersum.

## §. XI.

*Ipsos sapientes à simplicibus erudiri.*

I. Cor. I.  
19.

Eant nunc Mundi sapientes ( quorum tamen non nisi septem numerantur ) & spernant simplicitatem. Eant Stoici, Peripatetici, Academici, & disputationes acutissimas vanitati vendant. Eant & doctissimæ subtilitatis Theologi, &, quæ nemo intelligat, scribant, dicent, explicant. Præ illis Deo, cuius est *cum simplicibus sermocinatio*, Spiridones, Pauli Simples, Simeones Sali, Iacobi placuerunt. *Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi Scriba? ubi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi? Supercilium igitur ponant, qui sibi de magna eruditione tumide*